

tibus et pro dote dicti altaris perpetue et irrevocabiliter permansuris libera et spontanea voluntate dotarunt et instaurarunt; ac hujusmodi summam supratactam cum anno censu jam designato modo premisso ad dictum altare et ipsius rectorem pro tempore libere et sponte dede-  
 5 runt et sine retractione assignarunt, prout eciam promissa lucide ad-  
 apparent in litteris fundacionis desuper emanatis, hujusmodique per-  
 petuos annuos redditus et ipsam summam capitalem prelibatam juxta  
 dictorum fundatorum devotam intencionem sine aliqua interrupcione  
 erga dictum altare, quod hujusmodi nostrarum litterarum serie in bene-  
 10 ficium ecclesiasticum erigimus et rectorem ejusdem canonice preficiendi  
 perpetuis temporibus inconcusse volumus remanere et idem altare in  
 honorem gloriose virginis Marie jam consecratum et modo premisso  
 dotatum et dedicatum pro beneficio ecclesiastico de cetero teneri et  
 nominari decrevimus volentes eciam, quod memorati redditus ad dictum  
 15 altare jam applicati et inantea legittime applicandi velud ceteri reddi-  
 tus ecclesiastica plena ac perpetua gaudere debeant libertate et per  
 censuram ecclesiasticam necessitate exigente exigi valeant et emoneri,  
 inter alia adientes, si rempcio censum predictorum per dictum con-  
 solatum Quedelingburgensem fieret tempore succedente, extunc summa  
 20 capitalis dotacionis predicte in ede sacra erga aldermannos dicte par-  
 rochialis ecclesie sancti Benedicti in Quedelburg, quo ciens fuerit,  
 pro firmiori custodia per patronos et rectorem pro tempore dicti altaris  
 erit reponenda, donec consimiles redditus in loco competenti de scitu  
 patronorum et rectoris pro utilitate altaris reementur et reemi valeant,  
 25 dolo procul remoto. Nec non hujusmodi fundacionis et presentis nostre  
 confirmacionis littere atque cyrographus supra dictis annuis censibus  
 jam confectus et inantea conficiendus sub fideli dictorum aldermanno-  
 rum pro tempore custodia in dicta ede sacra pro commodo supratacto  
 jugiter debent remanere, preterea rectorem supradicti altaris pro tem-  
 30 pore existentem ad quatuor missas septimanatim per se vel submissam  
 personam ejus nomine ad ministerium in eodem altari dicendas et cele-  
 brandas inconcusse asstringentes, cum tali adjuncta cautela quod sin-  
 gulis septimanis idem rector unam missam pro defunctis et animabus  
 instituencium ac pro institutione et pro dotacione predictis effectualiter  
 35 cooperancium inviolabiliter ac jugiter celebrabit seu faciat celebrari.  
 Et si idem rector pro tempore in hujusmodi quatuor missarum cele-  
 bracione septimanatim vel amplius cessante legitimo impedimento negligens  
 quomodolibet reperiatur, extunc senior masculus de genealoya  
 eorum Donekorffen aut Winningh pro tempore vicem gerens presentandi  
 40 aut eisdem duabus generacionibus in lynea masculina cessantibus con-  
 sulatus Quedelingburgensis pro tempore hujusmodi negligenciam sine  
 racionabili causa occurrentem de redditibus dicti altaris sine ipsius  
 rectoris pro tempore reclamacione per alium ydoneum presbyterum  
 supplere beat et teneatur. Debet eciam idem rector pro tempore  
 45 dicto altari cessante canonico impedimento in divinis deservire aut  
 facere deserviri. Vitrici eciam supradicte ecclesie apud sanctum Bene-  
 dictum juxta dicti consulatus salubrem dispositionem rectori altaris